BOTRVS
CYPRI COELESTIS,
DE DIVINIORIBVS GRATIÆ DEI VINEIS,
Longè quàm Engaddicis felicioribus,

DECERPTVS:

ET

Illustrissimo ac Reuerendissimo Principi, ac Domino,

D. PETRO GEMBICKI,

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ

EPISCOPO CRACOVIENSI,
DVCI SEVERIÆ,

CANCELLARIO Academiæ nostræ Amplissimo,
& Fauentissimo,

DOMINO AC MECOENATI CLEMENTISSIMO.

A

M. IOACHIMO SPERONIO, *Sacræ Theologiæ Professore,*
Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani Canonico, Parocho Prosouiensi;
ad sacram Magistri Sententiarum prælectionem, cum
Diuino adiutorio accedente,

OBLATVS AC PRÆSENTATVS.

Anno à Partu Virginis, Dei Parentis, 1652.
Mense Januarii Die 30 Horâ 15

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Lucæ Kupisz S.R.M. Typographi.

SEPTEM,
Antiquissimæ VANDALINORVM Domûs,
PENNÆ,
Gentilitio, Illustrissimorum DD. MNISZKORVM, Stemmati,
d. c. q;

ILlustre pennis, Stemma quod, pernicibus,
Ad summa tendat, seq; per septemplices
Libret meatus, regna præter nubium,
Ad vsque vastas, lucidi, sedes, poli;
Ignesq; Sacros, syderumque fulgura:
Ad summa natæ Stirpis, inter Sarmatas,
Hæc summa laûs est, hoc decus clarissimum.
Insigne pennatum, arte maius Dædalâ,
Ceris Auorum consecrare debuit,
Domus vetusta VANDALINI Sanguinis;
Itûra cælo proximis curulibus,
Honoris inter brachia, et inter aureos
Ignes mitrarum. penna nec suffecerat,
Viris tot olim, totque rebus vnica
Seû Marte gestis; seû togæ laboribus
Cælo inferendis; tota Septenarij
Sudare moles; totus ordo hîc debuit
Perfectionum colligi; dùm pondera
Virtutis, atque literatæ gloriæ,
Mauortis inter laureas, perennibus
Fastis, anhelans fama ritè collocat.
Annon fatiget, ipsa septenæ licet
Momenta pennæ? victæ Moschuæ labor;
Stragesque Volgæ, totque gentium stupor,
Armisque dextræ MNISCIANÆ, et grandibus
Sceptris onustæ; colla quêis Septentrio
Subiecit olim totus; atque exhorruit,
Dùm penna, fulmen Martiũ fit, MNISCIA.
Sed his deesset Alitum decus licet,
Pennata famæ præpetis velocitas;
TERESA PRINCEPS sufficit; Celsissimis
Æquare laudes, sola quæ par laudibus;
Et vls volucres ire pennas altiùs,
Multis negato literarum tramite.
Quam si silerent docta, vatum, barbita,
Et eruditus præteriret si labor;
Nec penna doctos; nec deceret aurea
Testudo Vates; digna plectris omnibus
Hæc vna cùm sit, Pallas Arctoæ plagæ,
Scribique pennis omnibus dignissima.

Illustrissimæ, & Excellentissimæ
PRINCIPI,
ac Dominæ,
D. VRSVLÆ TERESÆ,
DE WIELKIE KONCZYCE,
KORYBVTOWÆ,
In Wisniowiec & Zbaraż
DVCISSÆ,
Principum Sarmatiæ Matronarum Ocello,
Pietatis delicio, Musarum Corculo,
Sæculi nostri ornamento,
Antiquissimæ WANDALINORVM Domûs;
imò & Aquilonaris plagæ,
nouæ Palladi,
an veriùs dicam?
Ingeniorum, inter Matronas Sarmatiæ,
Phænici;
Cui,
Per septemplices, gentilitiæ pennæ, circuitus,
Ad summam, virtutum & literarum gloriam,
prouectæ;
Irretortos, in fontem luminis eruditi, defigere mentis oculos,
tàm raro inter Hyperboreas gentes, priuilegio concessum est;
quàm raræ sunt in Orbe, Phænicis post quinque sæcula, è tumulo cunæ.
Huic ergò
Incomparabilis animi, limatissimi iudicij,
Græcæ, Latinæq; eruditionis dotibus,
instructissimi pectoris,
modestissimi tamen vbiq; de se sensûs,

verè,

vere Duci, vere PRINCIPI,
suprà omnia elogia positæ;
Elogiorum
D. THOMÆ, DE VILLA NOVA, ARCHIEPISCOPI VALENTIÆ,
Patris pauperum,
tanquàm
Matri, & Protectrici pauperum,
misericordiæ, & charitatis operibus deditissimæ,
vmbratilem hunc, qui lucem nondùm aspexit, partum,
lucidissimo, illustrissimi nominis sui splendore, illustrandum;
in argumentum officiosissimi cultûs,
& in obsidem perpetuæ deinceps venerationis, ac obseruantiæ,
offert, dicat, consecratque,

Illustrissimæ Celsitudinis suæ

Virtutum, & Gloriæ,
iam olim priuatus admirator, nunc etiam publicus Panegyrista,
M. STANISLAVS IOSEPHVS BIEZANOWSKI,
Philosophiæ, in Almâ Vniuersitate Cracouiensi Doctor,
ab annis tredecim oculis orbatus.

AD EANDEM
Illustrissimam,
ET
Excellentissimam Principem,
Pusilli Carminis
PROLOQVIVM.

NOn licet, ah ægro, Princeps Celsissima, Vati!
Non licet ad solitæ, surgere plectra, lyræ;
Dilectas tentare fides, carmenque negatur,
Pierijs, iterum concinuisse, modis.
Heû mihi! corporeis, mens circumducta, catenis,
Sentit onus, nec se liberè, vt ante leuat;
Sitque licet cæleste genus, nil conscia terræ;
Cogitur humanas, ferre patique vices;
Me tamen interius, vis quædam mira canendi
Sollicitat, numeris exilioque nouis;
Intima, iam totum, spirant præcordia, Phæbum;
Et videor, Musis, redditus esse, meis.
Res noua; sed tanti, iam sentio, numinis ortum,
Et quantus, stimulet pectora nostra, calor.
Nempe Tuas, quod Phæbus amet, Dux inclyta laudes,
Deliciumque sui, quod putet esse chori;
Et quod Hyperboreis, Te doctam Pallada, terris,
VANDALINÆ, *stupeat, grande iubarq́, Domûs:*
Et cytharas omnes, et pectora cuncta fatigat;
Ad laudes passim, doctaque fila tuas.
Hic ille est stimulus; Sacer hîc, quo accēdimur ignis;
Hic calor, hæc animi, venaque, visque mei.
Tu virtute Tuâ, Tu laudibus, atque stupendis
Dotibus ingenij, barbita nostra moues.
Tu noua Calliope; Tu Musis omnibus vna
Verior, et nostræ, Tu noua Musa, lyræ;
Cûi Latium decus omne dedit, multisque negatas,
Attica lingua, suas, cûi reserauit, opes:
Vt iam Sarmaticas, Te Mutia docta, per oras,
Ausonidûm Diuis, censeat esse parem;

Egelidamque, animos nasci miretur, ad Arcton;
Doctrinæ palmam, quêis Latium omne ferat.
Sed magè se totam, Matronæ Principis, vno
Pectore concludi, Græcia docta stupet;
Quæq; Areten, Sapphonq; suam, totq; agmina reddat
Musarum, Lechici nominis esse Ducem.
Tantus honos, tantumq; venit, Dux Inclyta, de TE
Nomen Sarmaticæ, tantaq; fama plagæ.
Tu Matronarum Flos es; Tu splendor auiti
Stemmatis; et Stöæ Tu sapientis amor.
Parnassi Diuas, veterum figmenta relinquo;
Tu Princeps, posthâc carminis, vna, mei.
Si tamen esse Tuum me, Princeps optima, Vatem;
Atque sines, animo, me placuisse Tuo:
Tunc ego septenis, magno de Stemmate, pennis
Subuectus, Lechicis celsiùs ibo iugis,
Et nisu maiore ferar. Nunc suscipe PRINCEPS,
Exigui, poterant quod, Tibi ferre, lares.
Offerimus nonnulla Tibi, quæ fortè supersunt
Pignora Scriptorum, dona pusilla satis.
Credimus illa quidem, (quis enim Te iudice, partus
Esse suos aliquid, doctaque scripta putet?)
Credimus, ad nitidæ, tersissima lumina, mentis,
Jlla, minùs genio, forte probanda tuo:
Quod tamen hàud illis, nostro de lumine venit;
Cum Solem nobis, lumina clausa negent:
Tu dabis et solem, nostris, et lumina, rebus,
VANDALINÆ, rutilans ô Cynosura! Domûs.

DIVI THOMÆ,
DE VILLA NOVA,
Eleemosynarij,
ARCHIEPISCOPI VALENTIÆ,
Vitæ Sanctissimæ
ELOGIVM I.

Oriri in Hispania, non occumbere Solem,
Sacræ, profanæq; Lucis, in immensum aucta Majestas, euincit.
Sola hæc,
In Sole posuit tabernaculum suum;
Dextrâ, leuâque, cunas, & thalamum Lucis, complexa;
Non sæculis, sed annis propè singulis;
Aut Fidei, aut Regni Solium, cùm Sole promouens, remouens nunquam;
Filia lucis, Mater facta est sanctitatis.
Sterilis primùm, vt omnes; quæ valido nisu, miracula virtutum, enixæ sunt Matres;
Post, absq; exemplo, quò annosior, eò fæcundior;
Quam Iacobo, vix septenam prolem, concesserat; eam nunc anus Mater, septuplum re-
Vt de ea iure dixeris, (fundit;
Ipsa quoque concipit Filios, in Senectute sua.
Adeò,
Vt Sanctos alibi fieri, in Hispaniâ nasci,
Paradoxum propè Sanctum sit;
Tantus, & tàm frequens, Filiorum lucis, in Occidente Ortus.
Nec alibi decuit,
Religionis decus, & sanctitatis delicium;
Oris, & pectoris Apostolici Virum,
D. THOMAM, DE VILLANOVA, ARCHIEPISCOPVM VALENTIÆ;
Nisi in Religionis Catholicæ speculo, speculâque; & quidèm in tutissimo virtutū Castello,
Castellæ regno nasci.
Hoc est illud, in quod IESVS intrauit, Castellum;
Salus nimirùm animarum, quæ Optimam MARIÆ Partem elegerunt, grandis numerus.
Tuum hoc Prouincia Toletana, Vetus, & Nouum gaudium;
Quia ad vetusti sæculi Lumina, Noua tibi, de Villa noua, ex Alphonso, & Lucia, Lux orta
Quid Vates? quid Oracula petis? (est.
Ne Delphicæ quidèm Phæbades, aliud tibi; nisi Luciam, Lucem Orbi parituram, respon-
Cunas ab aureo æuo Infantis, Imperantibus imperatûri, (dissent.

Igneam Seruij Tullij Coronam circumdedisse oportuit;
Nisi eas pulchriùs, illustris Stirpe, illustrior virtute, Alphonsi & Luciæ Parentum,
Pietas coronâsset.
Mater Pauperum, Pauperum Patrem genuit;
Vsque adeò Filij matrissant.
Prodigum Filium, prodiga non incuset Mater;
Quæ prior dispersit, deditq; pauperibus; cêu nihil Deo, nisi Filium; nihil Filio, nisi Deum, relinquens.
Iam tum pêr incrementa erogatæ farinæ, frumentum electorum prægustans.
O dispendia Eleëmosynas largientium, sine dispendio! ô lucrum sine sumptu!
O pauperum Matres!
Quàm vili pulmento, primogenita & benedictionem Dei, imò Deum, Filijs emitis!

ELOGIVM II.

E fonte riuum, è Sole radium; non è contra, manare nouimus;
Lucidæ tamen Sanctitatis LVCIA Mater,
Dum THOMAM orbi protulit; riuus fontem, radius Solem peperit.
Ea THOMÆ adhuc prætextati, Togata virtus;
Vt senium maternæ virtutis, non præcox; sed matura præiret.
Ingenio docili puer, Genium primò, fraudare didicit;
Mentis, non corporis augmenta quærens.
Sacram æternæ Cœnæ Orexim, ne corrumperet; ientare noluit; prandia pauperum, ientacula sua ratus.
Nuditatem alienam, cum ferre non posset; propriâ, innocentiâ tectus puer, non erubuit.
Nunquàm se pulchriori vestitu tectum arbitratus; quàm cum tegeretur nullo;
Festos quoq; dies, exhonorâsse sibi visus; nisi viua Dei templa detractis vestibus honorâsset.
Æstu nimiæ Charitatis abreptus,
cum inuidiæ stimulos sentiret nullos; solas miseris lacernas inuidebat;
nemo Euclionum, ditiorem se quenquam ita; vt ille pauperiorem doluit.
Macte Noue Habacuc!
non à Spiritu; sed à vehementissimæ charitatis impetu correpte,
paratos Messoribus cibos, in Spicilegas pauperes diuide; nec illis minuendos; nec defutûros diuinitùs istis.
Quis in tantillo pectusculo, tantæ Charitatis Æthnam, arsisse crederet?
Sed quò tandèm, Sancte Puer præceps ageris?
Astus hic, extrà virtutis orbitam est.
Charitatis, inquit, ausus hic: ipsa viderit. aut suppleat, aut vrere pectora desinat:
Ego, quam diu his facibus vror; in ipsa quoque cæli granaria, si liceret, inuolarem.
Quid agis Pusio Dædale? quid agis?
penna tibi amor est; iam volâsti. rea criminis charitas; ne in iudicium vocetur,
iam furtum amoris suppleuit.
In tantæ charitatis domo, nemo germanam sororem sapientiam, non illibentèr versari negâsset.
Deus Charitas est; intellectus bonus, omnibus diligentibus eum.
Inde THOMAS Compluti, antequam artium Discipulus, iam virtutum Magister,
Scientias ante docuit, quàm didicit; quia Deum ante scientias, seipsum ante doctrinam, didicit & cognouit.
Quantùm Magistrâ virtute profecerit,
Artium publicâ Compluti professione, professus est;

eâ cum

eâ cum laude; quâ Salmanticam, ſtudiorum Principem, abſens, ſtupore impleuit; quæ Cathedram ei, grandi ſtipendio dotatam obtulit;

Sed fruſtrà.

DEVM abſque ſtipendio, ſummum ſtipendium eligens; vitæ, quam ſcholæ ſapere maluit.
Hoc tandèm eſt; tritum illud, nec ab omnibus probè intellectum, ſpeculari;
Mortalia nempè vt ſunt, non vt dicuntur, nôſſe, ex altoque deſpicere.
Qui ſic ſpeculantur, ad ſobrietatem ſapiunt.

NAM

temulentorum eſt; meliora videre, probareque; deteriora ſequi.

ELOGIVM III.

Sæculum, cum multos deſerat, à paucis deſeratur.

Quid ita?

Ea nempè dulcedo nobis, huius vaſtæ cauponæ eſt; vt non niſi conſumptis omnibus, extrudi malimus, quàm exire.

Vetus hæc ſæculi dementia eſt;

Vmbram ſequi, nec aſſequi; cum ijs, quos furor, aut exſpes animus, in præceps agit; cùm ſolida deſunt, aërem nihil profuturum captare;
nullam minorem iacturam, quàm æternitatis; nullum grauius diſpendium, quàm amiſis voluptuoſi momenti, putare.

Sic dùm ludimur; & deludimur; probra, damnaq; noſtra diligimus omnes.

Riſit hunc Sardonium ſæculi, fortunæq; riſum,

DIVVS THOMAS VILLANOVANVS.

è Salo ſæculi, dum ſaluti conſulit, ad fortunatas Aſceticæ vitæ Inſulas, animum applicuit.

Nauiget in hoc Salo;

cui ternis à morte æternâ, aut quaternis diſtare digitis, tutum eſt; electi certè, ipſo etiam in continentiſſimo vitæ continente, in fida omnia, ſuſpectaq; habent.

Fortunatas inſulas quærenti, & ſuſpiranti;
Paradiſum voluptatis Deus inuenit, & plantauit;
Vt operaretur, & cuſtodiret illum.

Si carò emitur, quod precibus emitur; maximis THOMÆ precibus, aut cælum; aut Paradiſus emi debuit.

Quidni Paradiſum voluptatis, Eremum AVGVSTINIANAM dixerim?
In qua, lignum Aſceticæ vitæ, ad Regulam primùm effloruit; quæ deambulantem ſub meridiem DEVM, tanto Sanctorum famulitio excepit.

Stabat in eius veſtibulo, igneam torquens machæram,
Magnus Eccleſiæ militantis Cherub, Auguſtiſſimus Doctorum AVGVSTINVS;
Sed qui decoctores innocentiæ, paradyſo exegerat;
Virginem THOMÆ innocentiam, non terruit gladius:
quin imò vetus excubitor, tot ſæculorum cuſtodiâ feſſus,
gaudere viſus eſt; Nouum de VILLA NOVA, qui vices ſuas ſuppleret, Cherubinũ aduenisse.
Felix Pater, qui Filium, ſenectutis ſuæ baculum, Atlas Herculem, habere potuit;
Prodigioſus Filius, qui tantum potuit exarmare Patrem.
Ex eo tempore AVGVSTINIANI Paradyſi cuſtodia, mucroque ferreus,
DIVO THOMÆ VILLANOVANO,
in partem hæreditatis ceſſit.
Ergo Aſceta factus,

 Solitu-

Solitudinem, quam vbique circumferebat, non inuenit; sed intulit.
Qui Ascetam inter homines egit, Angelus esse voluit in Asceterior;
Lingua, quod hominum est, rarius; mente, quod Angelorum, frequentiùs vsus;
Exinde linguam in mente; non mentem in lingua habere cœpit.
Perfectionis Asceticæ rudimenta, penè nescijt; ante consummatus, quàm tyrocinia incho-
Prodigium Ascetarum absque exemplo; (asset.
cùm annis non nisi duobus paruisset; totâ deinceps vitâ imperauit.
Dixisses, eum Imperatoriâ Stirpe natum; nisi Imperatoribus quoq; ipsis, imperâsset.
Salmanticensi, Brugensi, Vallisoletano, Asceterijs sæpiùs;
bis Prouinciæ toti præfuit:
Vt iàm planè de Viro Sanctissimo, non sanctè suspicari liceat; eum obedientiæ virtute
caruisse; qui præfuit semper, paruit nunquàm:
ab ipso etiã HIERONYMO SERIPANDO GENERALI, è Purpuratis deinde Patribus,
Concilij Tridentini Præside, cui obseruantiam debuit, obseruatus.
Sed cùm nemo rectiùs imperet; quàm qui libentèr subest:
dixerim ego, eum in Sæculo, sub vetustissimâ Nouitiorum Magistrâ Charitate, religiosa
tyrocinia exsoluisse.
Ad pedes pauperum, in Xenodochio Domûs paternæ, humilitatis & obedientiæ leges
edoctus;
Suscitatus à terrâ inopum, collocari meruit cùm Principibus.
In regimine, Vir cordis mundissimi, decorẽ, & munditiem Domûs Dei, impensè amauit.
Viscera paternæ charitatis, quàm lata habuerit; filiorum magnitudo testatur.
Stupendo sanè priuilegio,
Vir diuinissimus, noluit nisi Diuorum fieri Parens; quos XVIII. sanctitate, & miraculis
claros, cælo genuit.
Ecce quàm prodigiosus, DEO Parentium, partus!
Magnus hic, non â pariendo; sed à parendo Parens;
Orbem totum ingenti spiritu cõplexus: Regibus, & Regnis Patres, & Patronos
Spirituales, sine numero dedit.
Indos, per HIERONYMVM XYMENEM, ALPHONSVM BORGIAM,
IOANNEM STATIVM, AVGVSTINVM CORONAM, Filios,
Sobolem Christi fecit;
Orbes quoque alios, Christo vectigales factûrus;
Si plures, quos Pelleus iuuenis, gloriâ ebrius, suspirabat, inuenisset.

ELOGIVM IV.

Non omne, quod differtur, auferri;

Doctrinæ Salmanticam pupillam, Doctorum Ocellus, D. THOMAS Villanouanus, do-
Redeunt interdùm vota, votis maiora; si diu vota fuerint. (cuit.
Optabat Salmanticica THOMAM sibi Magistrum, vouebatq;; sed differenda erat; ne
THOMÆ vota auferret.
Vir suprà omne pretium, pretiosus esse noluit; ne pretium perderet;
tantò carior, quantò cariùs est; quàm emi, donari.
Turpe putauit, aut Pastor olim populi, mercenarius; aut Doctorum Ductor: stipendiarius
Palladis fieri; mererique maluit, quàm merere.
Ne aliquid in eo, præter THOMAM amaretur, æstimareturque;
Detraxit ei, quidquid THOMÆ non erat, Eremus Augustiniana;
reddidit-

reddiditque Salmanticæ, abſque pretio, pretioſiorem.

Sed mox

Indoluit bonis ſuis, damnauitque vota, votorum compos Salmantica.
Magiſtrum ſententiarum, ad mentem Angelici Doctoris, Angelus ipſe, & mens vtriuſque, publicè interpretatus, Salmanticam Eremum, Eremum Salmanticam fecit.
Deſerta Lycæa, Cathedræq; ; luxitq; ſua gaudia, deſertus in ſuo Regno, Phæbus.
Ipſam tunc dixiſſes ſapientiam, humanos vultus indutam, diuinum aliquid intonuiſſe; tantus ſapientûm, in Collegio virtutis, confluxus.
Duos tùm ſæculum illud, à quibus tot ſæculis diſtabat, Sacri dogmatis Principes,
AVGVSTINVM & THOMAM,
In Divo THOMA VILLANOVANO, viderat.
Inaudita ſanè Metempſychoſis, duas tàm grandes animas, pectus in vnum transfuderat: niſi & ora quoque PAVLVS, & ELIAS obſediſſent.
Hem! quot nominum Viri! & quot Virorum nomina!
I nunc! & Salmanticæ, quod in Eremum conuolârit tota, diem dicito;
Tot in vno THOMA Viris, poſt quos Orbis totus abijt, victrices manus dare,
Victoriæ quædam portio fuit; cùm ne Hercules quidèm, contra duos.
Ouantem è Cathedris, triumphus in roſtris excepit.
Ducti Cæſares, Reges, Præſules, Principesq; ; circùmlata Gentium, Vrbiumq; ſimulachra: ſecutæ, quæ non trahebantur, Prouinciæ.
Vindicata in libertatem captiuorum denſa agmina.
Nemo minùs ingemuit; quàm qui victus eſt: nemo magis victus; quàm qui magis ingemuit.
Qui Cathedraticus, traxit Vrbem in Eremum Doctor;
Eccleſiaſticus, traxit Eremum in Vrbem Orator.
Secutæ ſuũ Orpheum, ſuæ feræ, ſyluæq; ; nec ampliùs, quales venerant, rediêre.
Hoc quoq; ad triumphi pompam pertinuit, Leonibus, tigridibuſq; inuehi;
Pendebat tunc ab ore dicentis;
à cuius nutu pendebat, quidquid infrà Cæſarem eſt;
maximos inter Cæſares, geſto imperio; poſito, ſuprà omnes poſitus,
ſuæ, & alienæ virtutis rigidus Cenſor, exactorque,
CAROLVS QVINTVS.
Grandis ille Africæ, Germaniæ, Galliæq; terror; inuenit THOMAM, à quo terreri potuit, voluitque.
Multiplex Imperatori Laurus non profuit; quin THOMAM, Laureatus Victor, timeret fulminantem.
Reus læſæ Maieſtatis, videri poterat; dùm reos non impetrat, ſed extorquet;
niſi dubium, vtra maior Cæſaris, an Suadæ Maieſtas, reliquiſſet?

Quandoquidèm

Maieſtatis ſuæ Cæſar oblitus, Valliſoleti ſæpiùs Cæſarem exuere priuatus; quàm Cæſareæ auditorem Suadæ maluit.

Hoc demum eſt,

Herculem clauâ, Iouem fulmine, Maieſtatem gloriâ exarmare.
Sic habent Cæſares quoq; ſuũ Dictatorẽ; habet ſuum ſumma Poteſtas, obſequiũ.

Quidni?

terrarum illi poteſtas concederet; cui cælorũ quoq; non incõceſſum Dominiũ.
Domus ſua nemini tàm facilè, quam illi cælum, patuit.

Sacram athomum dixiſſes;

Ita rapi in cælum ſuſtolliq; facilis; radium non ſenſit; quin terras linqueret.
Aſcendentem in cælos Dominum, dùm intuetur;
propè abfuit; quin venienti è limbo, animarum turbæ immiſtus, negatas viuentibus æternales portas, perrumperet.
Et iam Hodopericon carmen incæperat; niſi canentem Angeli excepiſſent.
Horis vndecim inter canentes moratus; ne diem integram, operarius domini, abſq; opere transigeret: duodecimam inter gementes, agere permiſſus eſt.
Inter Prophetas eum & Patriarchas tum oberrâſſe, ſpiritus Prophetiæ docuit.
Pro corde, quod DEO totum vouerat, arcana cordium recepit; mentium in terris interpres factus, dum ſuam cælo defigit. (ſens:
Qui DEVM, nunquàm non præſentêm habuit: abſentibus ſuis, nunquàm non adfuit præ-
Intellexit, quam non audiuit; reddiditq; vocatus, quam non protulit vocem;
Sic non perſecutus eſt tantùm vitia; ſed inſecutus quoque.
Magnus vitiorum, maximus Stygis hoſtis;
Dum odit vitia, & perſequitur; factus eſt Orco exoſiſſimus; vt ne conſpectum quidèm eius, in energumenis ferre poſſet.
Nempè hîc illud ſeruiat, quod Tyrannorum olim fuit;
Oderint, dùm metuant.

Nam & Tyrannis quoq;,

cùm omnis fermè illicita ſit; ſola, quæ in Stygem, & abortiuum Stygis fætum vitia, exercetur, non licita tantùm; ſed ſancta eſt.

E L O G I V M V.

Nec correctio, errores omnes ſequitur; nec pœnitentia.
Iuuit multos interdùm errâſſe, delectauitque; qui niſi errâſſent, aberrâſſent.
Sæpè error coronas, coronatoſque inuenit;
Quem nemo minùs damnauit; quàm qui errauit magis.
Aſinas erâſſe nunquàm doluit; cui Thronus, & armus, de induſtriâ ſeruatus eſt.
Nullus tamen ſanctiùs vnquàm errauit;
Quàm qui, in Sanctuario Domini, Eccleſiæque candelabro,
D. THOMAM DE VILLA NOVA, poſuit, calamus.
Mandauerat fortè Cæſar CAROLVS V. Archiepiſcopatum Valentiæ, ex Hieronymianis Aſcetis, cuidam, ſcripto publico, deferri;

Sed Maior Cæſare DEVS;

Dum gregi ſuo, Paſtorem THOMAM deſtinat; errare ſcribam, quàm Cæſarem maluit.
Excidit ſcribenti graphiario; qui cogitanti forte non inciderat, CAROLO, THOMAS;
Non quòd Cæſaris animo, ſumma omnia complexo, dilectus exciderit vnquam, Villanouanus;
Sed quod, poſt oblatum Archiepiſcopatum Granatenſem, recuſatumq;;
Dilectum cogere nollet; trahi poſſe modeſtiſſimum, deſperaret.
Lætus tàm ſancto errore Cæſar, mendum ſcribæ emendatiſſimum, DEI nutum eſſe voluit.

Factus

Factus tunc est, non lingua tantùm; sed mens quoque Cæsaris,

Calamus scribæ, velocitèr scribentis.

Gaudium Patris, ex errore in Germaniâ, excepit Philippus in Hispaniâ gaudēs;
Cumque Orbis totus approbaret errorem; solus THOMAS errorem, errorem esse corrigique, voluit.
Nunquàm acrioribus studijs, pro errore, contràque certatum est;
vicissetque THOMAS mitram respuens, errorem que impugnans; nisi qui Cæsarem ante, Verbo terruit;
Ipse quoque Sacri anathema fulminis exhorruisset.
Lugebat tùm Præsulem THOMAM, ipse, qui omnes exhilauerat THOMAS;
funusque Ascetæ, Præsul lachrymis prosecutus; extulit ipse feretrum suum,

Cathedræq; Pontificiæ intulit.

Gemmarum grandine, mitram Pontificiam depluere, vis lachrymarum fecit.
Solennem inaugurationi Pontificiæ apparatum, dùm conquirit;
Sollicitum Pontificem; sola curis omnibus paupertas absoluit.
Exspectabat Valentia Præsulem, viasque obsidebat omnes;
Sed mansuetissimus Præsul, eluctari per turbas nolens; quam solam contemptus liberam fecerat,

Viam elegit paupertatis.

Arduam Pontificatûs sui celsitudinem, quò commodiùs conscenderet;
ad vsque Suburbia Valentiæ, Archiepiscopus pedes venit: in comitatu, ne vmbram quidèm secùm ferens; nempè qui totus Spiritus, & fulgor erat.

Mirata est VALENTIA,

Ad Rachelem suam nouum Iacob, pedestri itinere Venientem;
astuq; sacro, pij Pontificis deprehenso, diu cùm ingressûs sui pompâ colluctatum inter Procerum tandèm, & nobilium festos occursus, in festum pompæ deduxit.
Inuaserat ante Pontificem, Diua, Pontificis aulam, Paupertas;
vt ædes, quas prima possederat, vltima dimitteret;
aulæis nudauit aulam; fastum palatio Palatinum proscripsit;
rigore insolito, Curiam noluit esse curiosam.
Pastor, oues in loco pascuæ collocaturus, famelicas primùm in Xenodochijs (adijt,
Cereris illud sæculum dixisses;
tanta vbique, esuriente Pontifice, inediæ pauperum, paupertas fuit.
Lanâ quoq; hoc Præsule, absq; prodigio pluit, quàm olim frequentiùs;
dùm malè tectus Pastor, ouium operimenta, in immensum auget.
Eandem bis, Nero purpuram, non induit:
vnam THOMAS, iam Pontifex, lacernam; quæ non decidit, nunquàm exuit.
Domi, non nemo illustrium pauperum; dùm vestis resarciretur, heroicam occultauit paupertatem.
Illustrior paupertate Præsul noster, suam, seque domi continuit, & resarciuit vestem, vestium commissuram pati eligens; quàm omissionem pauperum.
Sed qui vestium probra, scissuramque non exhorruit; animarum aliena, vt sua, doluit vulnera, erubuit probra.

Samaritano maior,

Vbi vinum

Vbi vinum oleumque non proderat; sanguinem propriū, curationi alienæ, flagris elicuit.

Inde nihil inuium illi,

etiam in ijs, quos exspes animus in auia mortis detruserat,

Paruêre viuo, mortui viuiq́;

quia mortiferæ labis nunquàm conscius, fontem gratiæ, vitæq́; amisit nunquā.

Mansuetissimus omnium,

cum nullius vitæ non fauisset; soli hæreticæ nouitati, prauitatiq́; mortē optauit;
Pantheras hasce nouitiū propter odorem suspectas, & fœtentes aduertit;
atq́; vt maculosas; ità candoris & veritatis hostes esse iudicans; inter purpuratos Concilii Tridentini Patres, non Italiæ tantùm finibus vt olim; sed orbe quoq́; toto proscripsisset:
ni DEVS senio fessum, tollere manus in cælum cùm Moyse; quàm conserere

cùm Iosue maluisset.

Dùm filios exsangues, sanguine pascit, fouetque; verus esse, dicique meruit Pelicanus.
Imperuia, obstinataque pectora, non vt Afer iuga Alpium aceto; sed sanguine emolliuit.
Sic profuit Ecclesiæ magis, quò longiùs abfuit cælo, quàm terræ propior;
tulitq́; in hæreticos sententiam, quam non protulit;
Clauo trabali Sisaræ caput transfigens, quem non sensit.

E L O G I V M VI.

Cladibus alienis, ambitiosa, illustrium cognominum, quærere incrementa,

vetus ambitiosorum libido est.

Maximorum nominū ortus, Gentium, & Prouinciarū semper constitit ab ortu;
nullusque triumphantium, nouum antè retulit cognomen in fastos; quàm illud triumphatis nefastum reddidisset.
Ad Africanorum, Asiaticorum, Macedonicorum, victoriosa cognomina,
per multarum vrbium, populorumque stragem, deletaque nomina itum est;
ferroque vt plurimum, aurea empta nomina.
Solus Crassus, ferreum auro apud Parthos emit inglorius;
auro tamen aureus VALENTIÆ Præsul,
aureum Eleemosynarij cognomen, ferreâ pauperum sorte, mercatus est.
Hoc solùm cognomen sanè maximum, absq́; sanguinis, & vitæ impendijs partū,
Sanguinem & vitam multorum seruauit.

Vir modestissimi ingenij,

Titulos cum omnes spreuisset; vnum hunc, crebrâ per populum largitione, ambiuisse visus est.
[illegible] hunc in Trophæo misericordiæ adscripsit, triumphata Valentiæ paupertas.

Res planè insolita;

[illegible] id [illegible] vnicuique paupertati, misericors dilexit, improbauitque miseriam:
ab infantiâ cùm eo creuêre, res omninò diuersæ;

Odium, & miseratio:

illud sui; aliorum ista.

IOAN-

IOANNI ALEXANDRINO, Eleemosynariorum Principi,
sæculi tantùm senio; non misericordiæ concessit;
Dubium relinquens inter prodigos filios, vter plùs decoxerit?
Vendidit ille donatum sæpiùs, redemptumque pretiosum, quo humilitas tegi noluit, operimentum:
Vendidit iste, quatuor drachmis emptum, gustareque noluit piscem;
Ne cænas pauperum, lauta Pontificis; quatuor drachmarum mensa, consumeret.
Effusâ largitione, hoc vterque egit; vt amatæ paupertatis, delicijs frueretur;
neuter tamen id consecutus, accrescentibus diuinitùs nummis; plùs expensum, quàm impenderat,

vterq; cognouit.

In his solis,
Non creuit amor nummi; quantùmuis ipsa pecunia creuerit.
Neminem Crassus, Romanorum ditissimus, diuitum numero accenseri posse, iudicauit; nisi qui annuis, legionis integræ stipendijs, sufficere posset.
Lætare, ô incomparabilis magni Pontificis charitas!
Audin' te, iam cum tuorum legione pauperum, inter diuitum Principes connumerari?
Nullius vnquàm Principis limina, tanto circumstantium famulitio obsessa, seruataq; sunt; quantò modestissimi Præsulis, famulitio non egentis.

Scilicet

Non sic excubiæ, non circumstantia pila;
Quam tutator amor.
Amor certè, cui diu sæcula laborabunt; vt parem referre possint.
Virum hunc, ab aureo æuo fuisse;
aurei sæculi testis, loquatur VALENTIA.
Condidit illud;
Qui & celebres olim aureorum malorum hortos, restituit in Hispaniâ,
D. THOMAS VILLANOVANVS;
Tantò clariores, & feliciores;
quantò, Dracone, sepibusq; sublatis; plus in eos miseris; quàm olim Herculi licuit.
Semel olim auro pluisse, Iouem;
Idq; intra ahëneam, Danaes turrim, legimus:
aureus nempè imber,
Ahëneâ turri concludi, debuit; ne auaritiæ irritaret sitim.

Quantò sæculum THOMÆ felicius!

quod non semel; sed annis singulis, ex octo decem Pontificij reditus, tredecem aureorum millia,
in sinus pauperum non deposuit; sed effudit.
Ahëneam turrim nescijt;
qui aureum imbrem, per vicos, & plateas circùmferens, verè iuuans Pater esse voluit.
Aurea Domus Neronis, ferreum Romæ sæculum condidit:
ex aureis laquearibus, fatale ceruicibus Romanis ferrum pependit;
cususque est, in aurearum mensarum incude; qui Patriciorum corda, transfigeret gladius.
Aurea THOMÆ Pontificis Domus, ferreæ paupertati inimica; quo caput indigentiæ meteret, aureum inuenit, & excudit gladium.

Non mar-

Non marmore; sed lapide Philosophico substructam crederes:
Ità, quidquid ferreum, dura paupertas in eam intulerat; aureum extulit.
Parùm fuit aureo imbre depluere; nisi vitæ, sanitatisq; pauperū, pretiosum Elixir sudâsset.
Multi, qui stipem petierant; petendæ ampliùs stipis, necessitate absoluti sunt;
claudi quoque, cum stipe, pedibus donati; quò alacriùs, ad pauperum Patris, misericordiæ viscera currerent.
Sed amantissimo pauperum Patri,
Parùm visum est, Patris viscera induere; nisi Mater quoque, & nutrix fieret.
Vbera, quæ masculis natura negauit; mascula virtus ei adinuenit.
dependebant ab vbere Pontificio infantes, quibus à materno, pendere nō licuit:
fuêre, quæ, Patres, lactauêre filiæ:
ne Patres quoque qui filios, filiasque lactauerunt, deessent; optimus lactentiū Pater, fecit.
Ipsam cælo delapsam, putâsses misericordiam, curam pauperum suscepisse;
Si gestatos Pontificis brachijs, nutritosque infantes lacte, conspexisses.
Inter greges infantiū, Pater idem, Mater, nutrixq; fæcundæ virginitatis miracula excitans,
Vir Apostolicus, omnia omnibus, propter Chistum factus est.

Diua nempè Charitas;

cum in alijs tota aut cor, aut manus, aut oculus Pauperum fuisset;
in D. THOMA tota vber esse voluit:
tantò libentiùs; quantò misericordiæ Matri vbera ferre, lactareque conuenientiùs.

ELOGIVM VII.

Sitire Patriam, suspirareque; non tàm peregrinorum, quàm exsulum est.
Peregrinari, multis vitæ totius negotium fuit;
qui habuêre interdùm sua; quibus Patriæ amorem extinxerant, solatia.
Fuêre, quibus ab ortu, ad occasum peregrinatio, Ortum & Occasum vitæ, definiuit:
exilium tamen, nemò libens vnquàm delegit; nisi qui ante, exulauit in Patriâ.

Suam cuiq; Ithacam;

quantumuis Ithaca, hoc est sterilis & inculta sit; per vicenas etiam hyemes quærere, dulce est.
Quanto maior electorum sitis,
Qui vt Patriam tantò ardentiùs sitirent;
Mel de petra exilij sugere, videbantur.
Sitientium illæ voces sunt:
Quando veniā, & apparebo? Cupio dissolui, & esse cùm Christo: morior, dùm cesso mori.
Iam hoc æstu conflagrauerat;
Sitique vehementissimâ tostus, corpore mortis huius, liberari cupiebat,
D. THOMAS DE VILLA NOVA;
Sed optimum Pontificem, premebat ipse; qui alijs leuissimus videtur, Pontificatus.
Ipse sibi sarcina, ipse pondus; ipse ponderis sui, sarcinæque baiulus erat.
Quid faceret premens ipse, pressusque?
Vastæ molis columnas, suo, alienoque fato, inuoluendas; loco mouere, cùm Samsone, non licuit.
Brachia quoque non aderant; quæ onus portarent, sine onere.

Solus

Solus amor crucifixus, brachia tetenderat; ceu crucifixum amanti subuectura.
Ergò succumbenti similis, fusisq; large in lachrymis, fusus ipse, prostratusq; :
Parce, inquit, amor, tibi hoc onus, cùm onerato ferendum est; aut Pontificis onus recipe; aut clamare desine:
Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos.
Redde THOMAM, THOMÆ; redde Thomam, tibi; ego reddo, Pontifex; quod tuũ est: redde tu quoq; ô Amor! quod meum est, nempè me mihi.
Torqueri ampliùs, premiq; amantem, non sustinuit crucifixus amor;
Oreque, quod hucusqûe visitur aperto:
Cogis, inquit, THOMA, semper & imperas; sed quid amanti faciam?
brachia mea, brachia tua sunt; pone te, sicut signaculum, super brachia mea.
Natalis Matris meæ; natalis tuus erit, teque mihi coniunget.
Corde caruisset THOMAS; nisi ad hæc verba amoris, totus in cor; hoc est, in gaudium cordis, abijsset.
Gaudebat certè, nõ quod onus THOMÆ; sed quod oneri THOMAS, subducend⁹ esset;
Occasus honoris, diem illi lætitiæ attulit; quia ortus, noctem mæroris attulerat.
Amico pectori fassus ipse;
se, ex quo Pontificem induit; diem lætum habuisse nunquam:
Tantus in modestissimo pectore, honoris horror fuit.
Vndecimo anno; quem lachrymis deprecatus est, cùm lachrymis Pontificatum finiuit:
Totidem nempè horas;
Inter cælituum cantica, cùm Ascendente Domino raptus transegerat;
Ceu horarum vndecim gaudio; totidem Pontificij laboris annis, præparari debuerit.
Ab Angelis canentibus ibidem,
Ad Angelorum Dominum, psallendo transire didicit; Cygnum in vita, & in morte professus,
diem æternitatis ingressurus; auroram, solis æterni prænunciam, habuit.
Nunquam purioribus fascijs, Virginalis THOMÆ innocentia, cælo inferri potuit; quam quibus Virgo Virginum, reparatrixq; amissæ innocentiæ, terris illata est.
Patris pauperum obitum suppleuit, Matris misericordiæ ortus; nullius maiore, quam paupertatis gaudio.

Putabat illa,

se, cùm eo; cuius in amoribus fuit, cælis recepto, eripiendam terris;
Viderat nempè illum,
lethali donato, mutuatoque lectulo, egentissimum omnium mori;
At cùm non lacteam illi; sed emptam quatuor aureorum millibus, in ipso margine Vitæ, effusâ largitione in pauperes dispersis; auream semitam, in cælos erigi conspexisset;
naturâ pusillanimis, tantaque vestigia consequi se posse desperans,
luctûs, & squalloris sui situ obsoleuisset;
nisi Matris misericordiæ exortu, recreata, cordi se esse cælitibus, intellexisset.
Quanquàm de Optimo Pontifice, paupertas pauperrimè sensit;
ceu ditior factus, eleemosynarius esse desierit.
Hoc verò est, Pygmæi pollice, Gigantem; lucernâ, metiri Solem.
fallitur, quisquis mensuram Sanctorum superefluentem, & super agitatam; mortalitatis metitur pugillo.
Plus illis à morte licet; in quos morti licuit nihil: sicut quibus à morte nihil licet, omnia in eos mortalitati concessa.

Sepulchra electorum,

Mortis sepulchra, morborum scopuli, salutis publicæ fodinæ sunt.

Exhalauerunt sæpiùs, odoratissimas cinnami delicias; manauerunt oleo; floruerunt lilijs;
Veriùs, quàm olim quidam, in sui nominis abiêre flores.
Nec aliud, D. THOMÆ, DE VILLA NOVA, à morte in mortalitatem, & mortē ipsam imperium.
Qui bonus odor Christi in vita, mirrhaque electa fuit;
dedit à morte odorem suauitatis.
Phænicis rogum, cineresque putâsses; tanta aromatizantium virtutū strue, conflagrauerat.
oleo quoque misericordiæ, oliua pauperum speciosa, nunquam manauit abundantiùs;
quàm cùm non tàm mortis; quàm leui amoris verbere, concussa est.
E castis ossibus, iuissent etiam florum, vernantes deliciæ;
nisi vtilitatis publicæ amantissimus Præsul; fructus, quàm flores maluisset.
quanquam ne à florum quidem breui solatio abhorruit;
qui sparsos, per Mausolæum suum mortuos; ad vitam, curationemque aliorum animauit.
Veriùs quàm Xanthus olim Tilonem, à dracone occisum, ad vitā, herba Bali, somniauerat reuocatum.
Nunquàm pallida erubuit magis, quàm ad floridū THOMÆ Sarcophagum, Proserpina: dum Sacris cedere floribus coacta, aciem suam; ne ad florum quidem ruinā valere, indoluit.
Tùm certè Flora,
Quomodo nunquam alias, floralia sua institui vidit, Apparatu magnificentissimo.
At Æsculapio cultus, gallorumque victimæ penitus ademptæ.

Ara salutis publicæ,

Bustum Villanouani factum, victimas Æsculapio ademit.
Ereptâ morti clauâ, vitæ claues recepit; factusque est morbis, & morti,
Lapis offensionis THOMAS.
Allisit ad hoc saxum, suos natura, dolorque abortus; recepitq;, quod corruptū intulerat, ab incorrupto THOMA, incorruptum.
Qui in terris positus, cælo filios, sine numero genuit: in cælum receptus, terris parere cæpit;
Quinque pueros, & sex puellas vitæ restituens.
Ceu necdum curis omnibus absolutus, curam infantum cælo secùm intulerit.
Dignus proinde habitus;
Cui terra cælestes, in terris deferret, honores.
Certauêre in deferendis illis, cæloq; inferendis, ij; quorū summa in terris cælorū potestas.
PAVLVS V. ouantem, per Hispaniam duxit.
GREGORIVS XV. triumphum illi minorem, Orbe quidem toto; sed per sola tantùm, Augustinianorum Asceteria, decreuit.
Sed maximus triumphus, victoriosissimi ominis nomini seruabatur;
quem cùm illi, inter Sanctos relato; Pontificum norma, Pontificū speculo; mera charitas, dilectioni merissimæ; Eleemosynarius, Eleemosynario;
ALEXANDER VII. instituit;
Omnium honores fauoresque, Orbis iterùm totius victor, vicit
ALEXANDER.

Ad Maiorem Dei Gloriam, B.M.V. D. THOMÆ, DE VILLA NOVA, & SS. Omnium Honorem.

bo
ch
ne
quà
viu
faſ
æu
æq
vt
à c
fu
lit
Pa
be
di
al
ès
e
ç
t
n
e

n
ds,